



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum, atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus, excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Seminarii : Ad Ornatvm Textus Sacri Concilij Tridentini sess. 23. cap. 28 de Reformat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

PRAXIS SEMINARII: AD ORNATVM
Textus Sacri Concilij Tridentini sess. 23.
cap. 28. de Reformat.

RESOLVT. CCCCXVIII.

- 1 Seminaria sunt, & dicuntur loca pia.
- 2 Loca pia sunt ea, quæ pietatis, charitatisque operibus exercendis destinata sunt, & qualia sint vide numero 3.
- 4 Loca pia dicuntur ea, in quibus senes, aut infantes, aut pauperes, aliæque personæ miserabiles aluntur.
- 5 Scholæ literarum, & pietatis non aliud sunt, quam principia quædam Ecclesiæ, & seminaria Reipublicæ Christianæ.
- 6 Loca pietatis venerabilia sunt, & procedit etiam si nulla habeant privilegia num. 7.

Seminarium an dicatur locus pius.

- I**N quadam facti contingentia dicebam Seminaria esse, & dici loca pia, loca enim pia vocantur ea, quæ aut sacra sunt, ac religiosa cuiusmodi sunt Tempia, & cæmeteria §. sacra inst. de Rerum Diuis. l. Sancimus C. de sacrosanct. Eccles. l. 2. & 4. ff. de Relig. & sumpt. 2. funer. l. 4. C. de sepulch. viol. aut. quæ pietatis, charitatisque operibus exercendis destinata sunt Specul. in tit. de instrument. edit. §. nunc aliqua n. 62. Io. And. & Cardin. in cap. Ioannes de testament. de quibus nouissimè meminit eruditus D. Ioann. Maria Nouarius in sua vtili praxi electionis, & variationis fori q. 43. n. 1. sect. 1. vbi quod in horum num. sunt Hospitalia, & Cænobia, Collegia, aliæque eiusmodi loca, in quibus aut senes aut infantes aut pauperes aliæque personæ miserabiles aluntur, aliæque opera charitatis, & Misericordiæ exercentur allegat textum in l. illud vbi DD. C. de sacrosanct. Eccles. Euerard. in Topic. a minoribus ad Ecclesiam in princip. Alex. conf. 209. colu. 1. lib. 2. Roman. conf. 477. quid enim aliud sunt scholæ pietatis, & literarum, quam principia quædam Ecclesiæ, & seminaria Reipublicæ Christianæ, quæ autem maior esse potest pietatis, & Charitatis exercendæ ratio secundum Nouar. in d. quæst. 43. n. 2. quam Religionis, & virtutis, aliarumque bonarum Artium, & linguarum communicatio, quæ sanè in scholis potissimum locum habet, in quibus vita hominum ad obediendum Deo, & ad parendum Magistratibus informatur, vt in Auth. habita Cod. ne filius pro patre, de qua meminit etiam eruditissimus, & miræ eruditionis Iuuenis D. Nouar. in sua eloquenti praxi electionis, & variationis fori q. 13. sect. 1. ita quod meritò huiusmodi loca, in quibus hæc opera fiunt, pia, & venerabilia censentur iuxta doctrinam Bald. in l. illud quæst. 21. C. de sacrosanct. Eccles. quem allegat D. Nouar. in d. q. 43. n. 4. vbi dicit hoc procedere etiam si nulla privilegia habeant, allegat Anchor. in cap. Auditis q. 11. de Restit. in integ. Dec. in conf. 88. col. 3. Cardin. in conf. 222. Petr. de Perus. in tractat. de Canon. port. art. 2. quæst. 2.

RESOLVT. CCCCXIX.

- 1 Ecclesia habet immunitatem localem.
- 2 Exemplo Ecclesiæ seminarium habet etiam immunitatem vt confugiens ad ipsum inde extrahi minime poterit.
- 3 Seminarium gaudent iisdem privilegijs quibus res sacræ non solum quoad honorem, verum etiam quoad immunitatem, & fori præscriptionem.
- 4 Seminarium exemplo Ecclesiæ immunita sunt à tributis, & alijs muneribus extraordinarijs.
- 5 Valet argumentum ab Ecclesia ad pia loca.

An Seminarium habet immunitatem Ecclesiæ ita quod aufugiens ad eum sit tutus.

Sicuti Ecclesia habet immunitatem, vt ad eam confugiens sint tuti, ita quod ab ea minime extrahi possunt ad textum in cap. inter alia de Immunit. Eccles. ita pariter gaudebit, hac immunitate Seminarium, ad quod si aliquis delinquens confugerit, erit ibi tutus, & extrahi minime poterit vt tradit Genues. in proprijs terminis in sua praxi curiæ Archiepiscopal. Neapolit. in cap. 17. num. 10. vbi refert quod in anno 1601. fuit restitutus Domus furni seminarij Neapolitani quidam Homicida, qui ad eam confugerat, & propriè ad furnum se contulerat ingrediens per lanuam Magnam dicte Domus, quæ est a parte viæ publicæ, & non à parte seminarij, quia non poterat negari quin dicta domus, esset seminarij, & consequenter loci pii, quamuis, per illam portam pueri non ingrediantur, & ratio est quia manifestum est seminarium gaudere iisdem privilegijs, quibus res sacræ fruuntur non solum quoad honorem, & annua salaria, verum etiam quoad immunitates, & fori aliquam præscriptionem, vt per Nouar. in sua eloquent. praxi electionis, & variationis fori, quæst. 43. num. 13. sect. 1. vbi quod scholis, & seminarijs eadem quæ Ecclesijs sunt concessa privilegia, ita quod ipsa seminaria exemplo Ecclesiæ à tributis, & alijs muneribus extraordinarijs immunita sunt vt per eund. Nouar. in dict. quæst. 43. num. 21. vbi allegat textum in l. omnia vbi Bar. C. de Episc. & cler. & in §. pro temporibus Auth. de Eccles. titul. collat. 9. & in l. illud iuncta glos. C. de sacrosanct. Eccles. cui sententiæ subscribit Ioann. Andr. in cap. 2. de in integrum restitut. Panor. in capit. relatum de test. & in cap. 1. de in integr. rest. Euerard. in topic. ab Ecclesia ad pia loca, de quibus meminit idem Nouar. vbi supra vbi sic refert nonnullis quippe vicibus consultum se respondisse, & vidisse etiam in hac sententiâ denensisse viros valde graues, & miræ eruditionis.

RESOLVT. CCCCXX.

- 1 Seminarium habet fori electionem.
- 2 Quæ & qualia sint pia loca, & vide num. 3. & 4.
- 3 Valet argumentum à dispositione ad desinunt.
- 4 Opinio dicentium scholas, & collegia literarum non esse pia loca.
- 5 Coniugium non est contra finem, & vsus pia causæ.
- 6 Legata facta scholis, & Collegijs censentur relicta ad pios vsus, & ad piam causam.
- 7 Ea quæ huiusmodi relicta sunt censentur relicta pro anima.
- 8 Causa studiorum vti fauorabilis valde similis est pia causæ.

An Seminarium habeat fori electionem.

Respondeo affirmatiuè, tanquam, vt dixi locum, pium vt tenet Nouar. in praxi elect. fori q. 43. sect. 1. qui mouetur ex eo quod pia loca vocantur ea, quæ aut sacra sunt, ac religiosa huiusmodi sunt tempia, & cæmeteria §. sacra inst. de rerum diuis. l. Sancimus C. de sacrosanct. Eccles. l. 4. C. de sepulchro viol. l. 2. & 4. de Relig. & sumpt. fun. aut quæ pietatis, charitatisque operibus exercendis destinata sunt Ioan. Andr. & Cardin. in cap. Ioannes de testament. Specul. in tit. de instrument. edit. §. nunc aliqua num. 62. quorum in numer. sunt hospitalia, & Cænobia, & collegia, aliæque eiusmodi loca, in quibus, aut infantes, aut pauperes, aliæque personæ miserabiles aluntur, aliæque opera misericordiæ, & charitatis christianæ exercentur vt est tex. in leg. illud, vbi Doctor. commun.

mun. C. de sacrof. Ecclef. Panor. in cap. fin. num. 2. de testam. Alex. conf. 209. col. prima lib. 2. Ro. conf. 477. col. penul. in fin. Euerar. in Topic. à minoribus ad Ecclesiam in princ. quid enim aliud sunt scholæ pietatis & literatum, quam principia quadam Ecclesiæ & seminaria Reipub. christianæ, quæ autem maior esse potest pietatis & charitatis exercitiæ ratio, quam religionis, & virtutis, aliorumque bonarum artium, & linguarum communicatio, quæ sanè in scholis potissimum locum habet, in quibus vita hominum ad obediendum Deo, & ad parendum magistratibus informatur, vt grauitur, & omnino verum hoc dixit Imper. Justinian. in Auth. habita C. ne fil. pro patr. vt non immerito huiusmodi loca, in quibus hæc opera fiunt pia, & venerabilia censerī debeant secundum Bald. in l. illud quæst. 2. C. de sacrosanct. Eccle. etiam si nulla priuilegia habeant vt sentit Anchar. in cap. auditis quæst. 11. de rest. in integr. quam eandem sententiam confirmat Dec. consil. 82. col. 3. Card. consil. 222. Pet. de Perus. in tract. de canon. port. art. 2. quæst. 2.

Nam secundum vulgatam legistarum regulam, cui conuenit definitio, eidem quoque definitum conuenit exemplo, adeo vt argumentum huiusmodi non modo probabile, sed & necessarium esse dicatur, vt notat Euerar. in Top. à definitione ad definitum per l. primam §. dolum, & ibi Bar. ff. de dol. mal. l. ult. iuncta glos. de verb. sign. & cap. dudum 2. post princip. de elect.

At qui vt concedatur sanè, sed absque veritatis ipsius præiudicio, scholas, & Collegia literarum non esse pia loca, quod alicubi statuere videtur Bald. in dict. l. illud col. prima, & in auth. hoc ius porrectum col. 2. & ibi Paul. de Cast. col. prima C. de sacrof. ecclef. & præter hos Alex. consil. 29. col. pen. lib. 4. & conf. 120. col. 2. lib. primo las. consil. 218. col. prima lib. 2. Soc. conf. 72. lib. 4. Paris. conf. 34. num. 28. lib. 4. quos refert vna cum quibusdam alijs Port. conclus. 6. libro quinto, cuius rei plerumque hæc solet reddi ratio, quod in his personæ, quodammodo viuunt sæculares, quibus coniugatos esse liceat, vt vult Felyn. in cap. 2. in fin. de for. compet. cui ad stipulatur Rom. in consil. 233.

7 Quasi verò contra, vel propter finem, & vfum, pia causa sit coniugium, quod diuini, humani iuris quædam communicatio est secundum Modestin. in l. prima ff. de rit. nuptiar. & idcirco quod per se tantum est non facit irritum exemplo l. perique ff. de in ius vocan.

8 Sed vt tamen hæc se habeant sanè legata huiusmodi quæ scholis, & Collegijs relicta sunt ad pios vfus, & ad piam causam relicta esse videntur, vt tenet Bald. in leg. si quis colum. 12. in princ. C. de Episcop. & cler. Paris. consil. 34. col. 2. lib. 4. Corn. consil. 10. num. 25. lib. 4. Vvesembec. consil. 28. num. 26. lib. 1. quippe quæ debeat pauperibus, & religiosis, alijsque hominibus, qui fauorem piæ causæ merentur propterea quod seruiunt Ecclesiæ, & societati communi maxime in erudienda iuuentute in quo plurimum momenti situm est Bal. in authent. similiter C. ad l. Falcid. Bertachin. in tract. de Episcopis n. 38. col. 68. Tiraquel. in tract. de priuileg. piæ causæ Menoch. in remed. 15. recuper. possels. num. 24.

9 Sed & ea quæ hoc modo relicta sunt, pro anima, censentur relicta Corn. consil. 108. num. 6. lib. 3. consil. 19. num. 13. & sequente lib. 1.

10 Et studiorum causa vt fauorabilis ita piæ causæ valde similis est in multis; hoc argumentis probat Tiraquel. de priuileg. piæ causæ ex doctrina Bartol. Bald. Angel. Iason. & aliorum in l. prima in fin. ff. solut. matrim. & in leg. nec non in princip. ff. ex quibus caus. Maior in integr. restit.

- 1 Nemo cogitur inuitus vendere, & venditio metu facta non valet num. 2.
- 3 Lib. rius in contractu venditionis consideratur, & n. 4. & quomodo procedat num. 5.
- 6 Quicquid plantatur, seruitur, vel edificatur; omne solo cedit.
- 7 Quomodo locus efficiatur religiosus.
- 8 Locus efficiatur religiosus etiam inuito eo, cui seruitus debetur si alibi commode seruitute vti potest, et hoc fauore religionis num. 9.
- 10 Cogitur vendere quis iter ad sepulchrum dummodo sine magno detrimento.
- 11 Pro danda libertate seruo cogitur quis vendere partem quam habet.
- 12 Legatum libertatis reputatur fauorabilis.
- 13 Cogi potest quis ad vendendum fauore religionis, & amplius num. 14. 15. 16. & declara num. 17.
- 18 Iudex debet considerare damnum quod contingere potest venditori.

An pro erectione Seminarij cogatur quis vendere rem suam.

In hac quæstione respondeo cum dec. Caroccij 26. vbi dicit pro negatiua parte facere Regulam, quod nemo cogitur vendere l. nec emere C. de iure delib. l. initium, & l. ff. C. de contrah. empt. l. inuitus C. locati l. nec ab initio C. de nupt. l. non enim ff. rerum amotar. l. possesores C. de fundo patrimon. lib. 11.

2 Vnde venditio metu facta non valet Sebast. Medic. de casibus, & pericul. parte prima quæst. 7. num. 32. si enim fuit adhibitus metus circa contractum, tunc principaliter agitur, vt res vendita præcisè restitatur, si verò est adhibitus in pretio, tunc agitur alternatiue, vel ad rem restituendam, vel ad supplendum vsque ad iustum pretium l. si res §. primo ff. de iure dot. vbi Bart. dicit esse casum singularem in præctica in modo concipiendi libellum, & dicit milles in facto habuisse.

3 Et ideo libertas in contractu venditionis consideratur vt si iustum pretium rei sint, puta decem, sed ego petebam pretium irrationabile puta quindecim, quod licet sit irrationabile magis tamen irrationabile est cogere ad vendendum, & hoc attenditur Castrenf. & Alex. in l. non interest C. quod metus causa.

Immo, & circa personas emere volentes, libertas vendendi consideratur, puta, cogi non potest magis vni vendere, quam alteri, etiam si ille, cui cogor vendere offerat iustum pretium, quia potest esse, quod sit inimicus, vel quid simile mecum pateretur, cui libenter non venderem, ita Castrenf. in citato loco per legem si in emptione. ff. de minoribus, quem singularem dixit las. in lege prima in princip. sub numer. 22. ff. de verborum obligat. Alberic. in l. ult. §. in computatione colum. 2. C. de iure delib. Igneus in Repetit. l. dudum col. 8. num. 38. C. de contrah. empt. Burgos. in cap. primo num. 23. de empr. & venditio. dicens esse perpetuò notandum Guilielm. in cap. Raynautius in verb. in eodem testamento num. 33. de testament. Gozad. consil. 44. num. 7. Tiraquell. singulariter commendans de retractu in præfatione numer. 34. Sapia ad leg. vnicam num. 36. C. de sentent. quæ pro eo; Rebuff. de restitut. in integr. Art. 1. glos. 3. num. 11. Roland. pariter valde commendans consil. primo num. 100. vol. 1. Mantua singulari 7. eruditiss. Sfort. Oddus de restitut. in integrum, quæst. 4. num. 84. & 85.

5 Et si non libere vendens iurasset contenta in instrumentum

strumento obseruare, prætiumque receperit non arguitur ex hoc metus exclusio Aretin. de magis communi consil. 14. col. 15.

6 Secundo facit regula quicquid plantatur, feritur, vel edificatur, omne solo cedit §. cum in suo cum sequente instit. de rerum diuisione.

Pro contraria parte affirmatiua facit primo loco tex. in l. locum iuxta sui principium ff. de usufructu 7 vbi locum religiosum facit nudus proprietarius inferendo testatorem si opportunè alibi sepelire non poteret, & sic ibi inuito usufructuario locus efficitur Religiosus, si alibi non poterat commodè sepelliri.

Sed certè duo ibi concurrunt scilicet, quia sepeliebatur testatorem, & aliter esset iniquum, secundum quod alibi commodè sepeliri non poterat.

Secundo hoc idem videtur probari in leg. 2. §. si usufructuum ff. de religiof. & sumpt. fun. vbi prima Glosidem dicit, & repetit.

Tertio hanc partem confirmare videtur text. in l. 8 leg. 2. §. locum ff. eodem titul. vbi fit locus religiosus inuito eo, cui seruitus debetur, si alibi commodè seruitute vti non potest dicens hoc habere magnam rationem.

Et sic inuito Domino locus religiosus fieri potest, sed ibi Iuriconsult. reseruat, si alibi commodè vti potest.

Circa quem text. illud obiter dicam, quod licet Angel. ibi. & Florian. dicant esse casum specialem.

9 fauore religionis, prout in l. si cui in vltima glos. ff. de seruit. tamen contrarium sentiunt ibi Bart. & Castrensis, & in hoc dicunt illam glos. singularem, & notabilem, quod dominus fundi seruientis potest commutare locum seruitutis, dummodo sine incommodo illius, cui seruitus debetur, patiter Ias. in leg. 2. §. mutui datio in decima fallentia, dicit ita esse casum specialem fauore religionis Nouel. de dot. par. 8. priuileg. 27. Couar. variat. resolutionum lib. 3. cap. 14. numero octauo, versicul. item communis, tamen verior est opinio, vt generaliter intelligatur, prout Ias. in l. 1. §. fin. numero 8. ad finem ff. de noui oper. nunciat. in leg. secunda num. 45. ff. solut. matrimonio in leg. si ex toto §. fin. numero 26. ff. de leg. 1. Veron. de seruit. Rust. prædiorum cap. 1. numero 7. Zasius lib. 1. respons. cap. 10. & hæc est communis opinio Soc. consil. 141. numero quarto libro primo Pinel. ad leg. 2. part. 2. cap. 1. num. 25. de rescindend. vendit.

Quarto facit textus in leg. si quis sepulchrum ff. de religiof. & sumpt. fun. versicul. præses vbi cogitur 10 quis vendere iter ad sepulchrum, dummodo sine magno detrimento venditoris, & ibi gl. notat. quod quis cogitur vendere.

Quinto hanc opinionem confirmat text. in l. 1. c. 11 de commun. seru. manumitt. vbi pro danda libertate seruo cogitur quis vendere partem, quam habet.

Cui potest fortasse non inutiliter responderi legatum libertatis reputari fauorabilius, quam quodvis legatum ad pias causas, & ob id ab eo fieri non posse Fulgos. per illum text. in leg. Papi- 12 nianus §. quarta autem ff. de inoffic. testament. cum minuat legitimam, quod non potest legatum ad pias causas Tiraquell. in præfatione tract. de priuileg. pia causa.

13 Et hanc secundam opinionem quod cogi possit ad vendendum tenuerunt Bald. & Angel. in leg. 1. ff. soluto matrimon. Florian. ad l. secundam §. locum, & ad l. si quis sepulchrum ff. de religiof. & sumpt. funer. Felyn. in Canone omnes colum. penult. distinct. prima Veronens. de seruitut. vrbano. prædiorum cap. 82. attestans ita obtinuisse Veronæ Afflict. in prognio constitut. Neapolit. quæst. 3. n. 10. attestans sic pronunciatum apud Regem Neapolis

in fauorem Monasterij Diui Hieronymi Franc. Marc. Decis. 536. par. prima, & receptissimam dixit Didac. Variarum resolut. lib. 3. capitul. 14. colum. mibi 16. fol. 972. Addo. Socin. Regul. 435. limitat. 9. Gomel. reputans hoc valde notabile variarum resolution. de emptio. & venditione num. 51. Alph. Report. 353. in fine per Nicol. Mozz. de contract. tit. de emptio. ne, & venditione, tit. de rebus quæ emi, vel vendi possunt num. 58.

Ampliat hanc conclusio, vt ad effectum pium cogatur vendere partem suam Bald. in l. vnic. C. de, 14 communi seruo manumitt. per illum text. Commendat. Ias. ad dict. l. nec emere lim. 2. C. de iure delib. randi. Gomel. in citato loco versic. secundo in foro.

15 Ampliatur secundo tam pro ecclesijs ædificatis, quam ædificandis Marc. in allegata Decis. numer. 4. Didacus in præcitato loco.

16 Ampliatur tertio in Emphyteuta habente dominium vtile tantum Francis. Marchus in allegata iam loco.

17 Declaratur capite Couarr. iam citato loco si loquitur de Eccles. Cathedrali, vel Parochiali, in quibus sacramenta ministrantur hoc fit absolute verum, in alijs verò non, nisi concurrente Principis placito, ex quo non militat adeo vrgens ratio.

18 Considerabit etiam discretus iudex necessitatem a simplici utilitate, & damnum quod contingere potest venditori, prout etiam omnia iura pro hac parte adducta innuunt, & demonstrant.

Fallit igitur regula ne quis cogatur vendere fauore religionis modo quo supra deductum fuit, & sic patet responsio ad contraria.

RESOLVT. CCCCXXII.

1 In vnione facienda Seminario non requiritur consensus capituli, sed eius loco requiritur consensus quatuor deputatorum duorum de Capitulo, & duorum de clero.

2 Et facta absque consilio eorum vnio est nulla.

3 Ad hoc vt valeat vnio facta seminario necesse est, quod sit actu erectum.

4 Beneficia vnita tali seminario vacantia spectant ad liberam Sanctiss. Domini dispositionem.

5 Non susinetur collatio beneficiorum facta ab Episcopo post lapsum multo temporis a vacatione, & num. 6.

Quid requiratur in vnione facienda seminario.

Sciendum est, quod in vnione facienda seminario non videtur requiri consensus capituli, sed eius loco requiritur, quod fiat cum consilio quatuor deputatorum duorum de Capitulo, & duorum de Clero ex decreto Sacri Concilij Tridentini capitul. 18. sess. 23. de Reformation. alias vnio non valet Cæsar. de Grassis in decision. 132. & censuit sacra Congregatio Concilij his verbis. Congregatio censuit vniones factas seminario absque consilio eorum quatuor, quos iubet Concilium adhiberi, minimè valere, alias non valent vniones simplicium beneficiorum factæ irrequisito deputatorum consil. verum Episcopus non tenetur sequi eorum consilium, vt eadem congregatio censuit his verbis Episcopus quatuor deputatos seminario debet adhibere in consilium pro tota temporali administratione prædicti seminarij excepta exactione, quæ ad solum Episcopum spectat, non tamen tenetur illud sequi consilium. Et ita in vna Mediolanens. beneficij quinta Junij 1596. fuit resolutum, quod deuolutio est iustificata lapsu temporis à die vacationis iuxta capitulum secundum de concessione præbendæ cum alijs, neque obstat vnio facta Seminario, quæ sine consensu capituli est nulla.

nulla secundum ius commune Clem. secunda de rebus eccl'es. & attentato Concilio Trident. ad eius validitatem requiritur interuentus adiutorum, vt fuit saepe a Congregatione declaratum, & consequenter non impedit deuolutionem, nam ignorantia iuris non praestat iustam causam ex deductis in causa Gienen. praestimonij, nec regula de triennali suffragatur seminario, quia illa defendit titulo possidentem, non autem vti vniu. Chisanen. dec. vltima.

3 Infuper est necesse ad hoc, vt valeat vnio facta seminario, quod sit actu erectum, & habeat actu scholares, & magistros, vt censuit sacra Congregatio anno 1588. in vna Gienen. his verbis congregatio concilij censuit vnionem nullam esse, & inuolidam, cum seminario non fuerit erectum iuxta formam Concilij, vtpote nec magistris, nec scholaribus verè, & actu in eo existentibus, quae declaratio fuit confirmata per breue Sixti Quinti in eius executionem datum 26. Octobris 1588.

Et Episcopo Caurien. sic fuit rescriptum Illustris. & Reuerendis. Dom. cum nomine capituli istius Ecclesiae expositum fuerit Congregationi Illustrissimum Patrum, qui Trident. Concil. decretis interpretandis praefecti sunt decem ab hinc annis istic vix exstitisse captam seminarij fabricam, illam tamen nunquam perfectam, ac super beneficijs, non fuisse certam taxam constitutam, minuique in ipso seminario magistros, & scholares habitos, censuit ipsa Congregatio beneficia eidem seminario vnita, atque in mensibus Apostolicis vacata speciare ad liberam Sacratissimi Domini Nostri dispositionem, quam Congregationis sententiam amplitudini tuae notam esse volumus, &c. Romae 26. Ianuarij 1596. Hierony. Card. Mattheus.

Vnde in causa Gienen. praestimonij de mense Iunij 1593. coram Domino Blanchetto fuit resolutum collationem beneficij factam ab Episcopo post lapsum multi temporis a vacatione non sustineri cap. 2. cum alijs de concef. prebend. nec obflare vnionem factam de dicto beneficio seminario faciendo verbaliter tantum erecto quasi ignorantia iuris dubij fuerit excusatus a deuolutione, quia responderetur ius esse clarum quod ecclesiae nondum existenti donari non potest cap. ad audientiam 2. & ibi Abb. de eccl'es. edificand. nec obflare cap. nemo de consecrat. distinct. prima quia solum probat antequam ecclesia fiat debere esse obligationem donandi, nec obflare concilium dict. cap. 18. quia responderetur, quod vt posset fieri vnio, debebat seminario actu esse erectum, saltem in domo conductitia, & concilium praecipit debere fieri contributionem de fructibus mensae.

Et in vna Corduben. praestimonij 6. Nouembr. 1596. coram D. Litra fuit ita resolutum, possessio seminarij fuit de facto capta, & propria autoritate vigore vnionis factae eidem seminario ante erectionem illius, quam vnionem certo certius est non subsistere ad notat, per Anchar. in Clem. si vna 3. oppos. de rebus Ecclesiae non alienan. & prout fuit dictum in illa Gienen. praestimonij 20. Febr. 1594. coram Illustrissimo Blanchetto, & idem fuit resolutum in illa Corduben. praestimoniorum 7. Febr. 1601. coram eodem D. Litra.

RESOLVT. CCCCXXIII.

- 1 Ad exemplum minoris datur restitutio in integrum Ecclesiae.
- 2 Petita restitutione in integrum impeditur executio non capta, & amplia num. 3.
- 4 Restitutio non datur quando apparet de calumnia.
- 5 An seminaria dicantur loca pia, & ecclesiastica ac

proinde habeant restitutionem in integrum, & vide numero 6.

Restitutio in integrum an competat Seminario.

- R**estitutio in integrum aduersus tres sententias conformes sicuti datur minori, vt lae deduxit Mastrillus in decis. 45. Mising. obser. 84. Menoch. consil. 478. numero 56. & consil. 757. numero 1. & 2. ita pariter competit ecclesiae cui in hoc indistincte equiparatur secundum Innocen. in capit. auditis de in integr. restit. Cappell. Tholof. dec. 54. B-nitend. dec. 85. numero 6. Mil. in repertorio in verbo restitutio ita datur, vbi ait quod ita datur minori, & seminario restitutio contra plures sententias sicuti contra vniam, idem dixit Ro. de loco pio sing. 94. Sfor. Odd. de restit. in integr. quaest. 3. artic. 4. & 5. & art. 6. num. 46. in tantum, quod statim quod fuerit petita impedit executionem non ceptam ad text. in l. fin. vbi glos. in verbo postulata C. de in integr. restit. postul. & latissime post infinitos resoluit Mastr. in dec. 30. quod procedere etiam aduersus tres sententias conformes, quando non petitur malitiose, & per calumniam dicit Salicet. in l. prima C. ne lic. tert. pro uocar. quaest. vlt. contra Bald. ibidem contrarium, tenentem Lancellott. de attent. penden. restit. in integr. num. 88. & seq. num. 93. subdens hanc opinionem esse veriolem, & communiorem, pro qua tenent longè plures Doct. & numero, & autoritate, & de magis communi dixit Gabr. de execu. re. iudic. conclus. 1. num. 17. Cappell. Thol. dec. 54. Mising. centu. 3. obser. 84. ad fin. vbi refert ita in camera saepe fuisse decisum, maxime quando ex antiquis aut nouis actis aliquid appareat, quod cesset praesumptio calumniae Magon. decis. Floren. 104. numer. 25. Mohed. decis. 77. & decis. 176. Mascard. conclus. 1280. num. 18. & 23. qui post alios hoc intelligit quando aliquid aliunde constaret de iustitia sententiarum Sfor. de restit. quaest. 43. tit. 3. num. 55. 78. & 88. Capicius decis. 93. num. 1. Lauren. decis. Auenio. 2. per totam Rim. lun. conf. 593. num. 28. & 69. volum. 5. & Thesaurus decis. 181. ad finem.
- 5 Licet opinionem negatiuam tenuerint Anchar. in capitul. auditis num. 10. quaest. 11. de praescript. Corn. conf. 57. lib. 3. Gam. decis. 390. sub num. 6. Paris. conf. 34. lib. 4. & conf. 50. lib. secundo Gabr. de pia causa, conclus. prima, numero 21. & conclus. 9. numero 2. & in puncto voluit Guttier. praest. quaest. canonic. lib. 1. quaestio. 35. vbi dicit quod licet exerceantur opera pia non tamen religiosa dicuntur Borell. in consil. 81. per totum, & optime idem Gabriel. in consil. 162. per totum volum. 1. loquitur in seminario erecto de licentia summi Pontificis, & dicit quod non est locus pius nec gaudet priuilegijs ecclesiae concessis nec gaudet foro ecclesiastico, vt consuluit de Ponte in consil. 18. per totum Anna singul. 90. in tantum, quod bona etiam immobilia poterant sine sollempnitatibus alienari, vt pos. Bald. Castrenf. Fel. & alios determinat Menoch. in consil. 535. numero quinto, libro sexto, de Pont. in dicto consil. 18. numero octauo, vbi refert ita pluries per sacrum Consilium fuisse decretum.
- 6 Contrariam autem opinionem, & affirmatiuam tenuit post alios Sfor. Odd. in tract. de restitution. in integr. dict. quaestio. 3. artic. sexto, sub numero quadragesimo quinto, versiculo in contrarium videatur, quia praedicta seminaria dicuntur loca pia, vt quam plures allegat Tiraquel. in suo tractatu de priuileg. pia causa in progm. in versicul. sed alij indistincte, & versiculo item fraternitatibus relictum, & Sfor. in dict. quaestio. 3. articulo quinto, ampliatur secundo, vbi veriolem, & aequiorem dicit esse hanc senten-

sententiam, in dicto numero 46. cum in huiusmodi locis exerceantur opera charitatis.

RESOLVT. CCCCXXIV.

- 1 Refertur casus questionis.
- 2 An inchoatis muris seminarij possit fieri vnio beneficiorum.
- 3 Vniones debent fieri de seminario, & collegio.
- 4 Qualitas sine subiecto adesse non potest.
- 5 Qualitates non entis sunt nullae.
- 6 Priuilegium non potest concedi collegio quando scholares non adsunt, sed contrarium num. 11.
- 7 Donatio facta futuro collegio non tenet.
- 8 Muri non faciunt seminarium sed scholares.
- 9 Omisso principio non potest fieri transitus ad finem.
- 10 Hospitali futuro, vel Ecclesiae construendae potest fieri donatio.
- 12 Non efficitur caducum legatum relictum ad alienius ecclesiae constitutionem etiam si locus adificio non fuerit designatus.
- 13 Monasterio adificando competit restitutio in integrum aduersus negligentiam, prosequenda appellationis.
- 14 Societas constitui potest super officio emendo, & erit valida.
- 15 Vim suam pariter ostendit quod incontinenti est faciendum, sicut quod iam est factum.

An Seminario inchoato possit fieri vnio beneficiorum.

- 1 **E**Rant erecti muri seminarij, non tamen ibi erat aliquid positum, quod arguebat seminarij initium, quare fuit dubitatum an per Episcopum potuisset fieri vnio beneficiorum ex dispositione Concilij Tridentini, & pro parte negatiua dicebatur, quod debent prius esse erecta ista seminararia, & in illis scholares actualiter adesse, vt tales vniones subsistant, nam si fierent ante erectionem, & existentiam scholarium non tenerent, vt semel censuit sacra Congregatio Concilij in vna causa Gienens. & resoluit Rota in eadem causa Gienens. praetimonij 15. 1594. coram Illustrissimo Dom. Blancheto, & in Corduben. praetimonij 6. Nouem. 1596. & in alia Corduben. praetimoniorum 7. Februarii 1601. coram Littera, ea nempe ratione, quia Concil. Trident. dicit, quod vniones fiant de seminario, & Collegio, vt in illis verbis, huic Collegio applicabunt, & incorporabunt, sed sic est, quod ante dict. erectionem, non adest Collegium cui fiat vnio, aut est in rerum natura lege quidam referunt §. primo vbi quia heres, ad quem sermonem conferat in rebus humanis non est ff. de iure codicilorum, ergo vnio fieri non potest, & si facta sit non tenet, quia qualitas sine subiecto adesse non potest lege secunda de usufructu, lege decem ff. de verborum obligation. lege prima ff. de usufruct. legat. vbi Bartolus numero finali, & non.
- 5 entis nullae sunt qualitates leg. eius qui in pronuncia ff. si certum peratur dict. leg. quidam referunt post principium versiculo nullius enim momenti ff. de iure codicilorum capitul. bonae §. primo versic. contra vero, & ibi glossa verbo per rerum naturam de electione.
- 6 Nec potest concedi priuilegium Collegio quando scholares non adsunt bonus textus in capitulo ad audientiam ille secundo, ibi licet enim nobis instanter supplicares, vt ecclesiae praedictae confirmationis priuilegium faceremus, tibi non possumus de iure deferre, cum nulli Canonici adhuc ibidem existant, quibus priuilegium concedatur, de ecclesiis adificandis. Nec tenet donatio facta futuro Collegio capitulo Abbate sanè §. nec pro eo ibi pra-

sertim, quia monasterio, quod nondum erat, aliqua donatio fieri non valebat, de sententia, & re iudicata libro 6.

8 Nec muri faciunt seminarium, sed scholares. Mohedanus decisio. prima sub numero quinto de foro competen. & notant Doctores in dicto capitulo ad audientiam ille secundo de ecclesiis adificandis; Ad quod possem adducere alia plura, quae congerit glossa finalis in dicto capitulo ad audientiam, & Mandos. in regula tertia Cancellariae quaestione quinta per totam, glossa etiam verbo acculare in capitulo ad dissoluendum de desponsat. impuberum. Praedicta sententia mihi placet quando colligeretur aliquis fumus, vel suspicio fraudis in vnione Seminario faciendae, pro vt contingit in dicta causa Gienens. vbi post factam vnionem, si beneficia vnita vacabant in mense ordinario, ordinarius illa conferrebat suis nepotibus, & familiaribus, dicens vnionem esse nullam ex dicto defectu, si verò vacabant in mense reservato dicebat esse validam, & a sede Apostolica prouideri non posse praetendebat vel quando redditus beneficiorum vnitorum Seminario nondum erecto postea non conuerterentur in seminarij vtilitatem, & prosecutionem ad vltiorem effectuationem, sed in alios extraneos vsus conuerterentur; Ac etiam quando omissa detractione fructuum mensae Episcopalis, & capitularis, & canonicorum beneficiorum diocesis pro vt dictum Concil. pro forma requirit, vel alias forma non seruata, mitterentur manus ad vnionem faciendam, & de facto fieret; tunc inquam libenter admitterem nullitatem vnionis.

Ceterum deficientibus supradictis, quando praui d. detractione, & contributionem fructuum, & ab illa realiter incipiendo, vt Concilium disponit, sumpto argumento ab ordine literae lege quoties 2. ff. de usufructu. capitulo si quis iusto 46. §. verum. de electione in 6. deueniretur ad vnionem beneficiorum futuro seminario, seruata forma in reliquis omnibus, tali casu existimauerim protectio validam esse talem vnionem, quamvis nec domus sit completa, nec fabrica constructa, nec minus scholares actualiter admissi, dummodo semper continetur in praeficienda fabrica, & in erigendo cum effectum seminarium, & collegium, pro vt etiam ita senserunt non pauci ex Illustrissimis Dominis Card. sacrae Congregation. Concil. Tridentin. & Reuerendis. DD. Rotae Auditoribus, dum eos hac in re super validitate cuiusdam vnionis in voce informarem, mihi insinuarunt, hoc ostenditur. In primis ex mente, & litera eiusdem Concilij Tridentini in eodem capitulo decimo octauo sess. 23. ante medium, dum dicit, & quia ad Seminarij Fabricam instituendam, & ad mercedem Praeceptoribus, & ministris soluendam, & ad alendam inuenturem, & alios sumptus certi redditus sunt necessarii, & e. ejdem Episcopo cum consilio duorum de capitulo, & ex fructibus mensae Episcopi, & capituli, & quaruncunque dignitatum personatum officiorum praebendarum, & c. partem aliquam, vel portionem detrahent, & eam portionem sic detractam, nec non beneficia aliquot simplicia cuiuscunque qualitatis, & dignitatis fuerint, vel etiam ante vacationem (sine cultus dinini, & obtinentium prauiudicio) huic Collegio applicabunt, & incorporabunt. Igitur ad Collegij fabricam construendam, & ad praeparanda alia necessaria quae praecise debent praecedere receptionem Collegialium est detrahenda certa pars fructuum, ex beneficiis totius diocesis, nec non dicta simplicia beneficia vnionem non obscure, sed aperte potius idem Concilium insinuat, quod sit valida vnio ante effectuatam erectionem seminarij, & vn-

nenum admissionem ponderando illam dictionem, nec non, quæ resolutur in copulatiuam, ac repetit omnes qualitates præcedentes Bart. in leg. Seia §. Cato ff. de fide instrumentorum: in terminis dicti Concilij est expressa decisio prima Celsar de Grafs. ubi etiam dicitur, quod est vnica ratio, in quo tam prædicti fructus beneficiorum, quam ipsa beneficia veniendi reguntur ab eodem verbo applicabunt, & incorporabunt, latè Mandos. super facultat. Auditor. Camera in §. & taxam. in glosa in verbo nec non.

Clarum etenim est, quod prius debet institui fabrica, & reliqua suppellectilia præparari, quam deueniatur ad scholarium receptionem cum sine domo, & alijs necessarijs existeret non possit neque omisso principio potest fieri transitus ad finem lege finali Cod. vnde vi leg. finali ff. de constituta pecunia cap. finali de præbytero non baptizato Rota decis. 10. num. 3. cum sequent. de præbend. in antiquis, & qui vult consequens debet habere, & antecedens leg. ad rem mobilem leg. ad legatum 62. ff. de procuratoribus leg. illud ff. de acquiritenda hereditate. Aymon. conf. 144. n. 2. Celsar de Grafs. decis. 2. numero 7. de caula possession. & propr. vnio enim non tenet, neque etiam teneret fructuum detractio cum par sit ratio ex supra dictis, & sequeretur quod dict. dispensatio Concilij esset frustratoria, ac nullum vnquam haberet effectum c. commissa 35. cum alijs de electionib. 6.

10 Rursus quia futuro collegio, & Hospitali, vel Ecclesiæ constituendæ potest legari, ac hereditas relinquere leg. seruos 35. ff. de liberali causa Abbas in cap. nos quidem numero secundo de testament. Angel. 11 in conf. 135. incipit paucis sub num. 1. Item potest illi privilegium concedi vt incipiat habere vires, quando erectum, vel erecta fuerit glos. fin. in d. c. ad audientiam il secundo, & Abbas ibidem num. 4. & 5. de Ecclesijs ædificandis, ac reliqui omnes. Ac etiam futuro ædificio seruitus imponi potest leg. si seruitus 22. §. futuro ff. de seruit. vrbano. prædicto. Hinc non efficitur caducum legatum relictum ad alicuius Ecclesiæ constitutionem, etiam si locus ædificio non fuerit designatus capitulo 3. de testamentis, & ibi glosa verbo in loco, & post omnes resoluit Conar. ibidem numero decimosecundo. Hinc Monasterio 13 edificando competit restitutio in integrum aduersus negligentiam prosequendæ appellationis, Rota decisione vnica numero primo, & secundo, ac per totum de testamentis in antiquioribus Bisigneti, Selua de beneficijs 3. parte quæstione sexta, numero septimo item remedium adipiscendæ comperit Episcopo executori testamenti, in quo futuri pauperes substituuntur heredes Bartolus num. 12. Bald. trigemosexto, Alberic. 12. Alexand. decimo Iaf. num. 11. Decius numero vigesimonono, Corneus numer. 18. in lege finali Codic. de edicto Diui Adriani tollen. Menochius de adipiscen. rem. 4. numero 256. cum sequentibus.

14 Rursus constitui potest societas super officio emendo, & erit valida leg. si fratres §. si quis societatem leg. actione §. item si societatem leg. cum societas ff. pro socio. Puteus decis. 67. Insuper quia sufficit sola destinatio construendi seminarij, vt habeatur pro constructo leg. 3. §. quid ergo ff. de contrario iudicio tutelæ, ubi probatur, quod pecunia deposita ad emptionem prædiorum censetur res immobilis, de quo vide Roman. singulari 103. Clemen. singul. 59. Rebuff. de privilegijs scholarium privilegio 55. n. 5. Boerium decis. 209. Redoanum de reb. Ecclesiæ non alienan. q. 10. per totam.

Ex quo bene, & doctè quidem Eruditus Nauar. in sua vtili praxi electionis, & variationis fori quæstion.

Aloy. Ricc. Praxis. Pars III.

48. §. sect. 1. dixit sponsam habentis fori electionem gaudere eodem beneficio electionis fori sicuti sponsus, nam si vxor priuilegiatæ personæ habet beneficiū electionis fori, vt latè deduxit idem Nouar. in quæstio. 47. §. sect. 1. ita pariter, & sponsa, ex eo quod vim pariter suam ostendit quod incontinenti est faciendum, sicuti quod iam est factum, & hinc idem Nouar. in d. quæst. 48. num. 7. infert, quod qui statim Laurea est ornandus habetur in multis pro laureato, & hinc secundum eundem Nouar. mox matriculandus habetur pro matricularo, cingendus infra breue tempus habetur pro cincto leg. penult. ff. de milit. testament. Alexandr. in leg. si quis id quod ff. de iurisdiction. omnium iudic. Gail. in obseruation. 80. libro secundo numero nono, condemnandus etiam infra breue tempus habetur pro condemnato Caball. de omni genere homicidij numero 167. & sequente, benedicendus in continenti habetur pro benedicto Surd. consilio 367. numero 21. & delendus ex albo habetur pro deletio idem Surdus in consilio 367. numero 22. vide scripta per Carpan. ad statuta Mediolani cap. 10. num. 16. & 144. libro primo, & Farinac. in quæstio. 103. numero 319. & sequent. ubi ait de occidente banditum proximè rebandiendum, sic perdendum habetur pro perditio, conditio statim defectura habetur pro defecta Marfil. singul. 106. Caball. resolut. crim. 65. & idem efficit suspicio imminens quod ipse actus, Surdus dicto consilio 367. numero 21. ideo, & carcere intra breue tempus liberandus non debet valde arcte custodiri Menoch. de Arbitrar. iudic. casu 704. numero nono, quare ipse idem responder in consilio 502. numero 35. non censeri eum indignum, qui adiuit hereditatem viuientis, quem sciebat ob delictum breui secretò feriendum, vel capite puniendum, vt meminit idem Nouar. vbi supra.

P R A X I S S I M O N I Æ.

R E S O L V T. C C C C X X V.

- 1 Episcopus concedens literas dimissoriales, vel testimoniales per pecuniam, committit simoniam.
- 2 Notarius pro literis testimonialibus non potest accipere nisi decimam partem aurei, & n. 4.
- 3 Per concilium Tridentinum corriguntur iura antiqua circa receptionem alicuius rei pro ordinibus, vel literis.

An committat Simoniam Episcopus aliquid recipiens pro concedendis dimissorijs.

1 R Espondeo affirmatiuè quia per literas dimissorias quis ius acquirit vt possit ab alieno Episcopo ordinari, idem dicendum est, si Episcopus testimoniales literas pecunia dederit ordinato clerico, quibus testatur Episcopus se eum Clericum ordinasse, vt vbique pro ordinato haberetur vt ex Concilio Tridentino session. 21. capitulo primo, de reformatione ubi habetur: quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis auaritiæ suspicio abesse debet nihil pro collatione quorumcunque ordinum etiam clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec aliqua quacunque ex causa etiam a parte oblatum Episcopi, & alij ordinum collatores, aut eorum ministri quouis pretextu accipiant, Notarij verò in ijs tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi pro literis dimissorijs, aut testimonialibus, decimam tantum vnus aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio